

delam, vel cereum dixeras in manu Sacerdotis, *Argelatus* in *Mediobarbo* p. 136. appellavit Sceptum.

XV.

Ceterum Quirites insanum non crediderunt, quoties festam agerent sub dio, etiam Soli faces accendere, canente *Juvenali*?

✓ Satyr. XII.  
91.

Cuncta nitent: *Longos* erexit *Janua Ramos*,  
Et *matutinis* operitur *festalucernis*.

Epist. 69.

Quod quidem *Seneca* prudentior sic exprobravit. „ Accendere „ aliquem lucernas Sabbatis, prohibeamus; quoniam nec lumine Dii egent, & ne homines quidem delectantur fuligine. “ PUBL. Sententiam hanc suam Stoicus hic Philosophus ne nostris quidem temporibus persuadebit; quamvis hodie domos de die luminibus non ornemus. In Templis quippe recte ardent lumina, cum, ut imaginem aliquam pulchritudinis Dei, qui habitat lucem inaccessibilem, sensibus rudium ingerant, & illustrationem Fidei doceant: tum, quia elegantius nihil, quo Deo tribuamus honorem, præ lumine ardenti possidemus. Nocturna Lumina festiva, oleant licet, hilaritate tamen sua molestiam facile depellunt, maxime, cum absque his omnis reliqua festorum pompa undique squaleret. TULL. Ethica commentaria facere si libeat, unumquodque ingenium præsto erit. Numi vero Tabulae sunt historiae, coævis e Scriptoribus illustrandæ, quod amplioris industriae est.

## DIALOGUS XI.

De Ludis nonnullis religiosis, eorumque Curatoribus.

PUBLIUS.

I.

**V**Ehementer aveo, Numos, quos hodie primos expendimus, intelligere, cum, unico demto, peregrini sint mihi, nec e paupere penu mea profecti. Quos namque ego teneo, saepe multumque lustratos, propius  
me

me affecutum confido : in peregrinis ipse sum hospes. TULL. Ideo cuilibet aliqua saltem Numorum supellex domestica esse debet, ut scholam præ manibus habeat, unde prima rei Numariae elementa jugi oculorum, & animi relectione tandem penitus imbibat. Eximie proinde tua industria facis : consequeris enim, in proletariis jam subactus, ut infinita propemodum rerum novarum varietas in tot Numis tibi peregrinis, attentionem tuam distrahat minus, minusque fatiget. Jactis fundamentis velocior fabrica surgit : parata jam tela, tritisque coloribus, prope est Helena. PUBL. Ludis nempe cum tirone, dum ei spem Helenæ facis. At vero quam proxime Zeuxes evadam, disces ex Numo III. Tabulæ tuæ II<sup>dæ</sup>, unde hodie initium ducimus. Hoc video, sedere hic Imperatorem aliquem, cum sceptro militari, immo Aquila potius triumphali, quem victoria retro adstans, palmamque præferens, ferto laureo coronat. Epigraphe infra, circumque est : SEX. NON. PR. L. V. P. F. quæ literæ singulares mihi ænigma sunt.

TULL. Pertinet ad hunc Numum rite intelligendum etiam ejus adversa, quam cernes apud Cl. *Patinum* in gente *Nonia* p. 188. Refert illa caput virile barbatum Senatus, cum sceptro post cervicem, & epigraphe : SUFENAS : addito S. C. licet Numus hic sit argenteus. Admittit *Ursinus* hoc nomen pro cognomine *Sexti Nonii* Prætoris, cum & *Catullus*, ac *Cicero*, itemque *Valerius maximus*, cujusdam *Sufenatis* meminerint. In Aversa vel *Augustum*, vel *Cajum Caligulam* Imperatorem sedere arbitratur, a victoria coronatum. Epigraphes ita legit : SEX. IUS NON. IUS SUFENAS PR. A TOR L. UDOS V. OTIVOS P. UBlicos F. ECIT. Quod pariter *Spanhemius* probat, advertens, neque, ut *Vaillantio* aliquando visum, legi debere P. rimus F. ecit, neque, ut *Pighius* posuerat, L. UDOS V. ICTORIÆ P. rimus F. ecit. Dudum quippe ante *Nonium* victoriarum causa ludos publicos ab aliis factos esse. In eo tamen cum *Steph. Vinando Pighio* Canonico Regulari, & Antiquario celebri, consentit, in hujus Denarii aversa, non Cæsarum aliquem, sed *Sullam* potius considerare, *Nonii* hujus avunculum, ejusque de *Mithridate* victoriam hic celebrari.

Ast vero Cl. *Harduinus* totus in alio est. Refert enim hunc Nummum ad *Antoninum* Imperatorem, & ad *Narbonem* civitatem.

TAB. II.  
N. III.

II.

Tom. II.  
p. 140.

III.

In Plin.  
suo Tab.  
XI. n. 12.  
ad Tomi  
II. col.  
777.

tem. Caput Senetus, non autem Romani, sed Narbonensis, ipse pariter agnoscit in averfa: vocem vero *Sufenus*, pro cognomine non habitum, discerpit, & ex utriusque partis epigraphæ hanc sententiam efformat. *SEX.tus NON.ius PR.ator Ludos V. otivos P.lebeios F.ecit S.acra V.ictorie F.ieri E.dixit N.arbone A.ntonino S.ospite S.enatus C.onfulto.* Cujus victoriæ causa hæc Sacra, ludique fieri debuerint, cur Plebeios appellet, non exponit, uti neque discernit *Antoninum*, docetque, an *Pium*, an *Caracallam*, an *Elagabalum* intelligi velit. Solebat vir celeberrimus in suis interpretationibus ire, quo sibi literæ præire videbantur: cum primis autem litera E. cito eundem *Eduam*, litera L. facile *Lugdunum*, litera N. celeriter *Narbonem* deduxit. Sua quippe opinione fixum quodammodo tenuit, plerosque Numos Gallicæ, non Romanæ fabricæ partus fuisse.

IV.

*PUBL.* Erigis admodum pusillanimum, & multum ruboris adimis mihi, dum ea, quæ ignorare me puduit, tantæ inter Eruditos quæstioni substare demonstras. Recordor porro, te mihi Exercit. Procem. Dial. XII. n. 8. seqq. multa de *Prætoribus* tam Urbanis, & Equestribus, quam Peregrinis, i. e. Plebeis, item de iis, qui exteras Provincias administraverant, edixisse. Quorum auctoritas paulo minor, ac Consulium, exstiterit, quibusque munus ludorum faciendorum, ex Aedilibus translatum, ab Augusto impositum fuerit, conlata stipe plebis propter magnitudinem sumtuum eisdem permiffa. Memini pariter, quæ Part. II. Dial. XVII. n. 2. de *Ludis* me docuisti: quorum *primum initium*, ut *Livius* habet, *procurandis religionibus datum*, quoniam iisdem Urbis, Populique Romani Salus, Fortuna, & Victoria verti credebatur. *TULL.* Præstanti memoria es, præsentique ingenio: ac proinde facile per te sapis, hunc, & sequentes. In hac Tabula Numos anteriores, quibus ludi, ac eorum curatores laudantur, Tractationi huic meæ de Religione Augustorum plane congruere, & abesse non debuiffe. Diis enim plerumque, licet non semper, ludorum obsequio deferebatur.

Libr.  
XXV. c.  
12.

V.  
TAB. II.  
N. IV.

*PUBL.* Quartus apud te Numus Imperatorem exhibet; in suggestu sedentem, qui dextram adversus virum extendit, cum equo adstantem, quem capistro coercet. Infra scribitur: *CENSOR.* Hoc quoque præstantissimi muneris genus pluribus  
me

me coram pertractasti Part. I. Dial. V. n. 9. seqq. unde conjicio, hunc Numum sive *Claudii* Imperatoris esse, sive *Domitiani*. TULL. Primi capite laureato in Adversa ornatur: quamvis id etiam Ill. *Spanhemius* II. p. 101. pingere omiserit. Miraberis vero, *Censor* quid hic intret, qui neque Sacerdos est, neque, censum agens, quidquam Sacrorum facit? Tantum autem negotium, quod *Livius*, de Servio Tullo illud instituente loquens, *Pacis longe maximum opus, & rem saluberrimam tanto Imperio futuram*, appellabat, *Dionysius* vero Halicarnasseus prædicabat *Sapientissimum omnium civilium Institutorum*, primum quidem inauspicato minime fiebat, debebatque Augurium præcedere. Deinde cum Reipublicæ transactum ab altero censu *Lustrum*, i. e. *Quinquennium*, prospere fluxisset, census novus etiam Sacro peculiari finiebatur. Specimen dabit is, qui sequitur, Numus, peculiariter in hanc rem a me selectus, quem inspice.

*PUBL.* Stat in eo vir veste talari, Sacerdoti non absimilis, dextra vasculum, sive lebetem parvulum gerens, lava ramusculos, quasi aspergilli vicem præbituros. Epigraphe circum est: *M. arcus POSTUM, us ALBIN, us L. ucus PORC, ius CAPIT, o II VIR, i Quinquennales.* TULL. Præclare legisti. Numus hic æreus medius apud Ill. *Spanhemium* II. p. 103. in Adversa capite nitet *Augusti* laureato, cum epigraphe: *AUGUSTUS DIVI F. ilius.* In Adversa vir maximus *Censorem* agnoscit, *lustrum condentem*, sive censum lustratione finientem. Quam in opinionem secum consensisse gaudet *Patinum* æque, ac *Vaillantium*, quorum uterque hunc Numum in Gente *Postumia* exhibuit. Imaginem quodammodo explicuit *Maro*, dum cecinit:

Idem ter focios pura circumtulit unda,  
Spargens rore levi, & ramo felicitis olivæ,  
Lustravitque viros, dixitque novissima verba, i. e. ultima, quibus finiit.

Verumtamen Census haud sola lustratione aquæ finem accipit. Docet enim *Asconius Pedianus* de Censoribus differens: „li-

H 2

dem

Libr. I. c.  
42.Antiquit.  
L. IV.VI.  
TAB. II.  
N. V.Æneid.  
L. VI.

VII.

In Divi-  
natione. „ dem , completo Quinquennio , urbem lustrabant , & Solitau-  
„ rilia Sacrificia , de sue , ove , tauro faciebant. „ Ex quo rur-  
sum vides , censorios Numos omnino ad argumentum quoque  
Religionis attinere. Adhuc vero notes , velim , e *Spanhemio* ,  
cum duo Censores fuissent , non ambos , ast unum duntaxat lu-  
strasse. Tradidit quippe *Varo* in hunc modum. „ Ubi Prætores ,  
De lingu. „ Tribunique plebei , quique in consilium vocati sunt , conve-  
latin. L.V „ nerunt , *Censores* inter se sortiuntur , *uter lustrum faciat* , ubi tem-  
„ plum ( i. e. conventus populi sub dio in campo Martio ) fa-  
„ ctum est “ Quocirca in hoc Numo unus duntaxat Lustrator exhibe-  
betur , quamvis Duumviri in eodem laudentur , ad quos in co-  
loniis Censura pertinet. Demum & ex *Livio* discas , non semper  
Libr. III. census lustratione completum esse , calamitatibus vetanti-  
c. 22. bus. Ait namque : „ *Census* actus eo anno : *Lustrum* , propter  
„ capitolium captum , *Consulem* occisum , *condi* , religiosum fuit. „  
i. e. religione omissum.

VIII. *PUBL.* Sextus Numus æreus medius , ac meus , in Adversa cir-  
caput nudum inscribitur : *TI.berius CÆSAR AUGUSTI F.ilius AU-*  
TAB. II. *GUST.us* Aversæ medium tenet caput bovinum suo cum collo : cir-  
N. VI. cum legitur : *CORNEL. Lucii F.ilius Lucii N.epos MERULA. Lu-*  
*cius VAL.erius FLACCUS.* Infra collum additur : *ÆD.ites TULL.*  
Hunc eundem Numum æreum , alterius vero moduli , neque  
tam integrum , pinxerunt *Patinus* in gente *Cornelia* p. 92. item-  
que *Spanhemius* II. p. 157. In Adversa nihil a tuo differt. Aversæ  
vero caput Bovis absque collo sistit , & literæ AED. hinc &  
inde pone fauces leguntur. Pars epigraphes anterior attrita ibi-  
dam per - - - - - denotatur , quod utrique viro sum-  
mo doluit : quæ autem nunc per Numum tuum commodum re-  
stituitur. Poterat hujus *Cornelii Merulae* Pater fuisse *Lucius* ille *Corn-*  
Libr. III. *nelius Merula* , de quo *Florus* , exstitisse eundem aliquando Fla-  
a. 21. minem Dialectem , & in *Cinna* locum , cum *Cneo Octavio Nepote*  
*Consulem* effectum An. Urb. DCLXVI. A *Cinna* vero rursus  
prævalente coactum , ut ultro sibi mortem conscisceret : quod ante  
aram Jovis , venarum solutione sibi facta dirissimas inter *Cinnae*  
execrationes , perfecit. Patrem forsitan habuerit *Lucium* illum ,  
quem in Denario , sellam curulem , imposita corona laurea , re-  
feren-

ferente, legit Ill. *Spanbemi*us, dum epigraphæ sic habet: P. VILLIUS TI. F. TI. N. TAPULUS. L. MERULA L. F.

*PUBL.* Septimus Numus prope similis est priori. Pariter IX. namque in medio caput bubalum habet, sed absque collo. Su- TAB. II. pra scribitur: C. *ajus VAL. erius*: infra: C. *ajus SEX. tius*: pone N. VI. caput hinc & inde: AEDILES. Quid bos in ambobus Numis vere sibi velit, adhuc plene non sapio. *TULL.* Audies post paulo. Junxit superiori hunc Numum etiam *Spanbemi*us, quem *Seguinus* jam vulgaverat. Adversa ejus ante faciem capitis nudi columnatim, & ascendendo, refert vocem *NASSICA*. Agno- verunt hic ambo celebres Viri vultum, nomenque *Scipionis Nassica* Consulis, qui aliquando etiam Censor erat, & *Matrem Ideam* ex Asia mari Romam detulerat: cui Deæ Ludi Megalenses postea instituti sunt, capite bovino hic designati. Ita hunc Numum illustrat *Spanbemi*us excusans, *Nassicam* in eodem pro *Nassica* scri- ptum esse, quod, ævo adhuc Ciceronis, moris fuerit apud Roma- nos, S. literam in medio aliarum geminare. Alias etenim jam te- status erat, reperisse se in Numis voces *Alexsandrea*, *Maxsumus*, *Paxs*, *Cappadoxs*, *felixs*, & alia sexcenta, nostram in ortographiam Tom. I. peccantia: quorum etiam in lapidibus veteribus planè sylva P. 121. est.

Sed nihil horum attendens Cl. *Harduinus*, ob S. geminum, X. animose dissecat hanc vocem. Non est hic, ait, *Scipionis Nassi-* In Plin. I. ca caput, sed *Augusti*, nec illius Nomen, sed hæc initialibus li- col. 394. teris indicata sententia: N. *arbonensium* A. *ugurum* S. *acrum* S. *ospi-* not. 1. *te* I. *mperatore* C. *asare* A. *ugusto*. Idcirco tauri caput, pro victima cæsi, in altera Numi superficie pingitur: quæ *Victima optima* & Libr. VIII. *laudatissima Deorum placatio*, inquit *Plinius*. Aediles intactos per- Sect. 70. mittit. Ego autem jam fere exspectabam, ut pergeret hariolan- do, & horum quoque Nomina discernens, ita forsitan legeret. C. *asare* VAL. ente C. *alendis* SEX. *tilibus* AED. *iles* J. *ussi* L. *udos* E. *dere* S. *olemnos*. Mensis quippe sextus a Martio, i. e. Auspicio Anni apud Romanos, & ideo *Sextilis* antehac appellatus, dein- cept in honorem *Augusti* pariter dicebatur *Augustus*: quo proinde demereri hunc principem cum primis congruebat. Videri pos- sit hæc ratiuncula tanti ponderis, quanti S. geminum in voce *Nassica*: in qua si error intervenerit, æquius certe putarem, fa- te-

teri, peccasse Monetarium, quam ænigmate eum lusisse. Secus, quid ad voces, a *Spanbemio* supra notatas dicemus? quibus per eandem Sphingibus commitemur?

XI.

*PUBL.* Præter spem sapio e tuis prælectionibus: quare abs te audita tanto altius in animum demittam, sive ut labore te allevem, eadem sæpius mihi exponendi, sive potius, ut amplius tibi spatium faciam, in res novas, easque semper pulcherrimas excurrendi. Opus proinde non est, ut mihi de *Aedilibus* plura hic addas: quorum triplicem Classem *Plebeiorum*, *Curulium*, *Cerealium*, uti & munera singulorum, cum primis Templorum, Sacrorum, atque Ludorum curam eisdem injunctam, ex Dial. XII. Exercit. Procem. n. 8. satis mecum revolve. *TULL.* Perge itaque ad Numum Octavum, Nonumque, quorum facies jam in unum conjunctæ, jam dispersæ comparent.

XII.

*PUBL.* Dixisti mihi supra de Ludis Apollinaribus, quos Aediles, vel Prætores curare debuerant, in honorem Apollinis, ac Dianæ, sive Solis & Lunæ, qui annos & sæcula dimetiuntur, institutis. Putem proinde, hujusmodi Numos in horum Ludorum subinde memoriâ esse signatos. Etenim in priori videor mihi *Apollinem* radianti Capite intueri. In altero conspicua est Luna, Stellis quinque circumdata. An, quia noctu inter minores hos ignes tanquam Regina effulget? An, quia una cum sole septenarium Planetarum numerum complet? Infra lego: *P. ublius CLODIUS M. arci F. ilius.*

TAB. II.  
N. VIII.  
& IX.

XIII.

*TULL.* Optime vidisti. Denarium hunc, utraque facie conjuncta, *Patinus* in Familia *Claudia* p. 72. item *Spanbemius* II. p. 127. pinxerunt, Apud posteriorem vero mox alii duo cum 7. Stellis in Aversa, aliisque nominibus, adjunguntur: demum etiam tertius, ubi stellæ sex comparent. Apud *Patinum* p. 202. in gente *Petronia* unica Stella grandior intra ipsa Lunæ cornua Omnium interim est argumentum Ludorum Apollinarium designandorum. Quoniam vero hi subinde etiam Equestribus decursionibus celebriores reddebantur: rursus apud eundem III. *Spanbemium* p. 132. alii Denarii, hinc quidem caput Apollinis referunt, inde vero Equos *Coletes* dictos, i. e. celerrimos, cum Sessore, qui aut flagro sonipedem incitat, aut palmam defert, finito jam cursu relatam. Denarium alium habet *Patinus* p. 64.

in Gente *Carifla* : cujus Adversa capite *Augusti* ac Nomine fulget. Aversa exhibet larvam scenicam , cum pugione , alioque ignoto Ludorum instrumento. Parte praterea II. Tab. V. Numos omnino decem varii typi tibi depinxeram , mera monumenta Ludorum. Non tamen putes , omnes hos fuisse religiosos , Diisque sacros : fiebant namque multi meræ popularis laudis captandæ , colligendique favoris gratia : ut ibidem tibi diligenter exposui.

Libet porro hic alterius , dum sumus in Ludis nonnulla par-  
 ris argumenti , velut extra ordinem , ex elegantissimo Cl. P. *Har-*  
*duini* ingenio tecum communicare. Pingit ille geminos Numos  
 æreos magnos. Primi Adversa caput habet laureatum , ac titu-  
 los integros *Neronis* : in altro *Constantii* , filii M. *Constantini* , Proto-  
 me in diademate comparct. Aversa utrobique sex Fœminas , ni-  
 si forte Juvenes pariter & virgines , gesticulantes , atque saltan-  
 tes redhibet , in priori Numo circum tres Obeliscos , in postero-  
 re circum unicum. Subscribitur ubique : SABINAE. Tu quid  
 hic cogitares ? *PUBL.* Ludum illum novæ Romæ , quem specta-  
 tum invitata *Sabina* Virgines , raptæ sunt a Romanis. *TULL.* Ita  
 & alii Antiquarii , nihil fere adhærentes existimabant : quos ta-  
 men *Harduinus* oppido falli contendit.

Nam quid ad *Neronem* , ait , multo magis vero quid ad *Constantium*  
*Christianum* Principem raptæ quondam *Sabina* Virgines ? Fabrica  
 horum Numorum Romana non est , sed Gallica. Legit itaque in prio-  
 re : S. *cenicis* A. *relate* B. *asilicam* I. *mperator* N. *ero* A. *ugustus* exstruxit . in  
 posteriore : S. *cenicas* A. *relate* B. *ono* I. *mperii* N. *atus* A. *ugustus* E. *jecit* . Vult  
 igitur , *Neronem* Scenicæ istas per Milites cogi præcepisse , ne per  
 incertas Urbis domos vagarentur : sed unam intra basilicam , quam  
 in hunc finem ædificaverat , se continerent : *Constantium* autem eas pe-  
 nitus ejecisse . Ita literis iisdem , ait , geminum facinus , alterum  
*Nerone* , alterum *Christiano* Principe dignum exprimitur. *PUBL.*  
 Belle hoc sonat . Sed cum hæc facta historica sint , cuperem  
 certe , eadem veteris cujusdam Scriptoris testimonio fulciri , & id  
 saltem doceri , Scenicæ has fœminas Nomen *Sabinarum* , raptus-  
 que *Sabini* memoriam reducendam sibi sumsisse , quemadmodum  
 v. c. Romæ Ludus *Trojæ* perseverabat. *TULL.* Nihil horum Cl.  
*Harduinus* egit : qui tamen , ut auguror , per hæc ingenium  
 suum

XIV.  
 In Plinio  
 Tab. VIII.  
 n. 20. 21.

XV.  
 Ibid.  
 Tom. I.  
 p. 753.



suum potius experiri, quam certam interpretationem statuere voluit. *PUBL.* Largietur itaque, si suo sensu & alii abundant.

XVI.

*TULL.* Iterum is Numum pinxit aeris magni cum capite velato in Adversa, cujus e sinu fax prodit accensa. Epigraphe: *M. arcus CESTIUS.* In Aversa Fœmina quadrigas agens, pariter facem lava elata præfert: pone legitur: *MUN. HENNA.* III. *Spanbemius* I. p. 199. hunc Numum commemorans, legebat: *MUN. icipium HENNA. e,* de qua *Pomponius Mela* tradidit: *Famam habet ob cereris templum HENNA.* Quapropter & *Hennea ceres* dicebatur. *Cererem* itaque in utraque Numi parte agnoscit. *D. Liebe Goth,* Num. p. 36. ex *Morelliano* Specimine geminum etiam huic Numum allegat, hinc cum capite fœmineo inornato, inde cum venere stante non vestita: utrobique vero, præter *M. Cestium* adnotatus pariter legitur *L. Munatius,* tanquam II. Viri. In adversa parvi hujus aëri Numi denuo legitur: *MUN. HENNA.*

XVII.

In Plinio  
Tom I.  
col. 163.

*Cl. vero Harduinus* non solum *Cererem* comparare hic negat, verum etiam pernegat *Municipium Henna* hic descriptum. *Hennenses* quippe in Sicilia fuere conditionis liberæ, ait, qui nullos in honorem Cæsarum Numos eudebant: utique neque Hispani postquam a *Vespasiano* Jus latii sunt adepti. Præterea *Gens Cestia* Narbone in Gallia, non in Sicilia fuit. Quocirca voces *MUN. HENNA* solito artificio suo sic dividit, atque transformat. *MUN. us H. adriano E. didere N. octurnum N. arbsnenses A. uzurus.* Caput adversæ velatum vult esse *Sabinae*, defunctæ Conjugis *Hadriani*: & hanc eandem in Aversa quadrigis in Cælum deferri. Facem designare *Ludos*, in ejus honorem noctu editos, asserit.

XVIII.

Verum tamen in hoc Numo nullius Imperatoris, vel Augustæ alicujus conjugis, Nomen, aut Nota existit: nisi quod in *H.* litera *Hadrianum* latere, Vir celebris mere suspicatus fuerit. *Hennenses* Deam suam duntaxat hoc aëre honorarunt, nullo suæ libertatis detrimento. *Cestiae* Gentis neminem in Sicilia rerum aliquando esse potitum, eo, quod quidam eorum fortassis Narbone Magistratum gesserit, profecto non fuit. Immo *Morelliano* ex Numo quodammodo certum est, *M. Cestium* unacum *L. Munatio* hac in Urbe Duum virum exitisse: quæ Nomen suum iisdem vocibus *MUN. icipium HENNA* professæ est, quin tamen hic *Sabina* ve-

la-

lata, quadrigæ cœlestes, aut faces nocturnæ compareant. Ne dicam, an Sabinæ defunctæ, ac Divæ, cœlos petenti, con-  
 venerit affingere, quasi Gladiatoribus, aut Saliis, vel quibuslibet  
 historionibus, in sui honorem noctu ludentibus tœdiferam egerit.  
*Cererem* itaque, ut alias illa solet in monumentis, ac Numis facem  
 deferre, ad mentem Ill. *Spanhemii*, mea quidem opinione, hic  
 loco movere nequaquam oportet. *Cererem*, inquam, & quidem  
*Henneam*.

*PUBL.* Aequæ fortes tuæ rationes videntur, ac *Harduiniana*,  
 nisi fortius etiam stringant: nisi Vir ille Clarissimus, quod fere  
 auguror, solidiores alias in penu sua retinuerit, valentiori pug-  
 næ servatas. *TULL.* Gnaviter judicas: ego porro respondeo  
 illis, quæ in adversum veteri sententiæ legi. Sed & hoc quidem  
 solius ingenii causa. Addo autem adhuc tertium Numum in quo  
 novus & singularis Antiquarius noster Ludos cogitavit. Pinxit il-  
 lum Tab. I. lin. 4. cujus Adversam occupat Caput Victoriæ alatum  
 absque lemmate. In Aversa graditur Leo: pone quem hinc &  
 inde: A. XL. vel in alio modulo: XL. I. Infra legitur: LUGU.  
 supra, literis autem supinis: DUNI. Pronum hic cæteris fuerit,  
 syllabis in unum conjunctis, pronunciare: LUGUDUNI.

Cl. vero *Harduinus* opponit, sibi non videri, Nomen Civi-  
 tatis genitivo casu scriptum fuisse: & hoc solum ei causa fuit,  
 hanc vocem ita dividendi. L. udi V. otivi G. enetrici V. eneri D. e-  
 creto U. rbi N. arbonis I. ndicti. Provocat hic ad Ludos, juxta *Pli-  
 nium*, a *Jul. Cesare*, instituto ad id Collegio, paulo ante eadem  
 suam *Veneri Genetrici* destinatos, deinde ab *Augusto* actos: & ait,  
 Leonem id innuere, qui vel ad spectaculum, vel ad pugnam hic  
 adstet. Literas pone ipsum exponit: A. bolita XL, i. e. *Quadra-  
 gesima*, nempe pensio quadragesimi Numi, aut in altero modulo:  
 XL I. ndicta.

Ut porro se habeant Ludi *Veneris Genetricis*, nam *Genitricis*  
 dici *Harduinus* non patitur, equidem non video, Romæ acti, quo  
 solido argumento Narbonem traducantur. Quod si legerem ad  
 Ludos pariter, & abolitam *Quadragesimam* respiciens: L. udis  
 V. otivis G. enetricis V. eneris D. ata U. rbi N. ofra I. ndulgentia:

æque novum dicerem, solo ingenio nixum. Neque insolens vox  
 I In-

XIX.

XX.

In Plin.  
 Tom. I.  
 col. 89.

XXI.

*Indulgentia*, cum & in Numo Elagabali fit: *Indulgentia Aug. in Carthag.* PUBL. Hilaria mihi maxima facis, tam elegantia Viri Summi acumina mihi enarrans, quæ sane animum excitant meum &, velut Mercurii Romani, in viis publicis positi, jucundisque versibus inscripti, fessam attentione mentem denuo instaurant.

## DIALOGUS XII.

De modo, & ritu Sacrificiorum, & horum Exemplis.

TULLIUS.

I. **N**umini laudem, ac hostias deberi, omnes homines intellexerunt: non, quod is Deus non esset, quem nos talem non dicimus, sive quod nostris donis egeat ille, cujus munere nobis omnia veniunt: sed, ut esset modus, quo Deum se colere, unusquisque in conspectu Orbis publice profiteretur. Duo hæc officia cultus divini, Laudis videlicet, & oblationis, agnoverunt, & reddiderunt idololatræ. Quod autem caput est veræ Religionis, & Cultus princeps, nimirum obsequi Deo ejusque præceptis obedire, propriis vere cupiditatibus inordinatis, ac improbis constanter, ipsius causa obniti, cæca gens illa & misera neutiquam scivit. Obtulerunt igitur Sacrificia magno ritu, & nullo fine, i. e. absque numero: inter hæc tamen servierunt genio, & libere quantumlibet pravo affectui, quousque id leges civiles permetterent, indulserunt.

II. Cum vero summa in eis hoc pacto impuritas animi fuerit, corpore tamen puro esse, sacrificaturi studiose curabant: & quidquid sacrificiis adhiberetur, mundum esse nitidumque, quod ita Deos deceret, summa industria procurarunt. Phra-